



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficultatis 1. Examinantur Implicantiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

Punctum Difficultatis 1.

tis 1.

Examinantur Implicantiae.

ris. Tum quia non ideo videtur Angelus esse spiritus, quia exigit talem locabilitatem, sed potius ideo exigit talem locabilitatem, quia est spiritus. Tum quia impossibili omni loco esset impossibilis locabilitas, & tamen possibilis esset spiritus, ergo ratio spiritus, per dictam locabilitatem, non bene explicatur.

Ut verum fatear, nulla debita definitio occurrat, quae explicet adaequatè rationem spiritus & corporis.

EXPLICARI tamen sic posset, quòd RATIO CORPORIS stet in ipsa entitate prout est radix molis. Quo etiam termino, utitur Suar. cum limitationibus. D. 36. Metaph. S. i. n. i. Quod si quæras quid sit esse radicem molis? Hoc per notiora ita explicari posset, ut radix molis in manifestè corporibus illud sit, ad quod sequitur exigentia partium entitativarum & illa mediante exigentia extremitatis in ordine ad se, & hac ipsa mediante exigentia extremitatis in ordine ad locum. Ad eum modum quo radix rationalitatis exigit formalem rationalitatem, rationalitas admirativitatem, &c. Rursus moles radicaliter in istis quæ non sunt manifestè corpora, est principium ut aliquid ordinetur ad id, quod habet partes, vel terminando illud, vel continuando, &c. Vel non habendo jus existendi extra illud quod habet partes. Denique moles radicaliter est id quod tibi cogitante respondet, dum ex una parte Angelum cogitas, ex alia aliquid punctum materiale.

Econtra RATIO SPIRITUS erit radicalis exigentia maximæ subtilitatis, ad quam consequitur negatio molis. Sequitur inquam: Quia res positiva non primò importat negationes. Dicit autem spiritus exigentiam maximæ subtilitatis: Quia materialis subtilitas non est maxima. Quæ ipsa maxima subtilitas pro hoc loco clariori phrasi explicari non potest quàm negatione molis. Adscribo hinc verba Martinonis D. 36. in i. P. n. 10. melius spirituale propriè dictum definiretur per negationem illius crassæ entitatis, quam habent omnia corpora, ita ut entitas spiritualis sit purior, subtilior & tenuior, quàm quæcunque materialis creata, vel creabilis.

DIFFICULTAS III.

An incorporeitas inferat intellectivitatem Angelorum?

Intulit eam S. Thomas, & post eum non pauci Thomistæ, sed negavit Grabriel, Occam, Arriaga. Hurt. in manuscript. In hoc vertitur quæstio: An implicet contradictionem ut aliqua sit substantia spiritualis, non tamen intellectiva.

IMPLICANTIA est, quâ utitur recentior Suar. in sua Met. tr. i. n. 533. Quia talis substantia esset cognoscitiva cognitione spirituali, ergo intellectiva. Ant. prob. quia in suo esse, foret perfectior qualibet substantiâ corporeâ, abstraheret enim plus à materia. Atqui aliqua substantia corporea est cognoscitiva, ergo & illa spiritualis foret cognoscitiva; nam nobiliori naturæ, competit modus operandi nobilior.

RESPONDETUR. Negando Ant. Quamvis autem illa substantia foret quoad gradum spiritualitatis perfectior præ corporeâ, non tamen foret perfectior quoad singula; possetque non esse cognoscitiva, sed per operationem spiritualem, emanativa qualitatum aliquarum spirituarum. Quando autem adducit ex Dionysio, qui Angelorum intellectivitatem probat per eorundem spiritualitatem, id non convincit, quia hic non quæritur auctoritas, sed demonstratio, vel certe verum id est de spiritualitate qualem habent Angeli, non autem de spiritualitate ut sic; ad eum modum, quo cognoscitivum humanum fundat intellectivitatem, non autem cognoscitivum, ut sic.

2. IMPLICANTIA est, quam adfert Oviedo ex Ruiz, quia scilicet immaterialitas propriè consistit in potentia recipiendi species utiliter respectu subjecti: h. e. ut illis possit uti; Ergo impossibilis est potentia immaterialis, non intellectiva.

RESPONDETUR. Negando immaterialitatem stare in dicta receptione: Quia non implicat contradictionem esse aliquam substantiam immaterialem, non tamen receptivam specierum utiliter. Deinde immaterialitas in Deo datur, & tamen non est in illo, illa utilis receptio specierum. Angelus comparatur ad sui notitiam ut quid immateriale, & tamen se non noscit per species. Rursus si possibilis esset substantia non indigens speciebus, nunquidne jam hoc ipso per locum intrinsecum sequeretur, illam non esse immaterialem? Ipsa intellectio est formalissimè immaterialis nunquidne recipit species utiliter? Imò ipsum recipere, supponit jam subiectum, rogo per quidnam constitutum? Cum non nisi pro posteriori, recipiat species.

Neque valet si dicas, capacitatem recipiendi species utiliter fundare intellectivitatem, non nisi in his, quæ sunt capacia specierum, non inquam valet: Quia jam non das universalem rationem fundativam intellectivitatis. Denique petitur hic principium: Quæro quare immaterialitas

materialitas fundet rationem intellectivi? Respondetur, quia importat potentiam recipiendi utiliter species: Quæro, quare importet capacitatem utiliter recipiendi species: Respondetur, quia potest per illas intelligere, ergo à primo ad ultimum immaterialitas fundat intellectivum, quia potest intelligere.

3. IMPLICANTIA est ex Herize. Immaterialitas substantiæ illæ sunt & magis capaces cognoscendi, quæ minus indigent dispositionibus non organicis, magis, organicis.

RESPONDETUR. Non implicat contradictionem nullo modo indigere dispositionibus organicis, vel non organicis; & tamen non esse intellectivum: Character nullis dispositionibus indiget, & tamen non est intellectivus. Denique talis hic deberet assignari radix intellectivi, ex qua debite inferatur, Deum esse intelligens perfectissimum; jam autem si ab ista exigentia vel non exigentia organorum, ratio intellectivi desumeretur, non posset inferri maxima Dei intellectivitas: Quia ex una parte Deus & Angeli quæ se habent quoad non indigere dispositionibus, & tamen Deus, perfectius est intelligens, præ Angelis: Ex alia parte, ut addit Oviedo, maiorem organizationem requirit planta quàm aqua, & equus quàm planta; cur ergo organizatio major equi fundat in illo rationem cognoscitivam, & non fundat in planta? Et ut dicit Augustinus I. P. D. 16. S. 1. æqualis est materialitas cæli & formicæ, & tamen formica est nescitiva, non cælum; Ergo tanta vel tanta materialitas non est principium nescientiæ.

4. IMPLICANTIA est, substantia quod immaterialior seu spiritualior est, perfectius intelligit, ergo virtus intellectiva oritur ex prædicatione spiritualitatis.

RESPONDETUR, quod cum tali de facto immaterialitate, idque in substantiis conjungatur ratio intellectivi, sed non cum immaterialitate, ut sic, cum de facto etiam accidentia spiritualia dentur, nullo modo cognoscitiva.

ISTAT aliquis apud Oviedo. Nulla potest alia ratio assignari spiritualitatis nisi immaterialitas.

RESPONDETUR. Hoc nihil demonstrat: Quia posset dici; scio quod immaterialitas ut sic non fundet intellectivatem, licet nesciam quid illam fundet; sicut possumus scire, & hoc de illud non demonstrat quadraturam circuli, cum non possim illam demonstrare. Vel quod intellectivatem fundet talis in specie immaterialitas, licet nullo proprio nomine appelletur; sicut si non daretur homo, & daretur animal, dici posset actus ratiocinandi non connecti cum animali ut sic, sed cum tali animali; quod tamen tunc, non haberet proprium nomen.

Tenenda hic sunt aliqua præ oculis. Inprimis quod non implicet contradictionem dari virtutem non limitatam à materia, non tamen

cognoscitivam. Deinde cum dentur de facto spiritualia, quæ non involvunt rationem intellectivi, hoc ipso habetur fundamentum asserendi, quod conceptus ut sic immaterialitatis, non fundet intellectivatem, cum tamen hic agatur de fundamento universali intellectivitatis. Denique quando aliqua separata non sunt etiam inadæquatè, alicujus formalitatis principativa, nec conjuncta, illam principiare possunt; & quia ratio substantiæ, de se, nec inadæquatè principiat intellectivum, nec item ratio spiritualitatis, ut patet in caractere, fit ut illa, etiam conjuncta, non principient ut sic intellectivatem.

5. IMPLICANTIA est, quæ utitur Rainaudus, Disp. 2. n. 63. in sua Theol. naturali n. 67. Res aliqua dicitur dupliciter perfecta. Primum secundum perfectionem sui esse, in propria specie: Quod esse, quia distinguitur ab esse specifico aliarum rerum, tantundem imperfectionis importat rei, quantum perfectionis reperitur in aliis rebus. Huic imperfectioni ut occurreret auctor naturæ, providit secundum perfectionis modum, quo perfectio unius rei, transeat in aliam rem, quod fit per cognitionem; per hoc enim cognoscens differt à non cognoscente, quo ipsum objectum cognitum, est aliquo modo apud cognoscentem, ut dicitur 12. Metaph. t. 19. & cognoscendo omnia anima, fit omnia, ex tertio de Anima tex. 5. & aliis; non potest autem perfectio unius rei, esse in altera, secundum illud determinatum esse, quod habet in re illa, & ideo ut transeat in aliam rem, debet considerari absq; illis, quæ apta sunt illam determinare. Quia verò formæ & perfectiones rerum determinantur per materiam, unde est, quod secundum hoc res sit cognoscibilis, secundum quod à materia separatur: Ideo oportet quod illud in quo talis rei perfectio suscipitur sit immateriale: Nam si esset materiale perfectio recepta esset in eo, secundum aliquod esse determinatum, & ita non esset in eo secundum quod est cognoscibilis seu immaterialiter, proindeq; non cognosceretur. Manifestum ergo est quod immaterialitas alicujus rei, sit ratio, quod sit cognoscitiva; & secundum modum immaterialitatis, est modus cognitionis.

Hic totus discursus sic in formam redigitur. Quidquid præter id quod est, potest fieri alia omnia, est intellectuale; Sed res immaterialis præter id quod est, potest fieri alia omnia. Ergo res immaterialis est intellectualis. Maj. prob. Quia per hoc distinguitur intellectuale à non intellectuali. Min. prob. Quia cum immateriale non coarctetur per materiam, facile potest transire in alia omnia, & si potest cognoscere unum immateriale, poterit cognoscere & alia immaterialia, fierique ipsa, multoque magis ex tertio de An. t. 7. poterit fieri alia inferiora, noscendo scil. materialia.

RESPONDETUR. Quod attinet ad discursum, ille probat quod intellectivum debeat esse immateriale, sed non probat conversam, omne scilicet immateriale esse intellectivum: Tota enim vis medii termini est in hoc: Quod oporteat illud, in quo talis notitia suscipitur esse immateriale, sed non probatur hoc ipso, quia immateriale est, jam debere esse tale, in quo alia, secundum suas perfectiones suscipiantur. Deinde concedatur providisse Deum alterum hunc perfectionis modum, sed nego illum connecti essentialiter cum immateriali. Quod attinet ad formam, si minor sit universalis, falsa est: Si autem sit in Darii vera erit, sed non concludet intentum; nam debet inferre omne materiale intellectivum. Illa propositio quod non coarctatur per materiam facile potest transire in alia omnia, si ly facile potest, supponit pro non impeditur vera est propositio: Quia nihil titulo præciso immaterialitatis, ab intelligendo impeditur, sicut nec titulo præciso animalis: Si autem ly facile potest, supponit pro exigit, essentialiter, falsa est propositio nec ulterius probatur. Addo, de facto quidem ea, quæ recedunt à materia, suntque substantia, intelligunt: Sed queritur: An hoc sequatur essentialiter; summaque nobilitas substantiæ immaterialis, exigit nobilissimam, h. e. immaterialem actionem, sed negatur, quod exigit intellectionem.

Punctum Difficultatis 2.

Continuatur idem examen.

Perez. disp. 3. de scientia Dei proposuit etiam alias Implicantias.

PRIMA IMPLICANTIA est desumpta ex Suarez. Non datur de facto talis substantia, ergo non est possibilis: Neque enim est ratio, cur de facto non esset datus hic gradus. Prob. Conf. Quia anima rationalis deberet tali substantiæ esse melior; jam autem auctor naturæ, incipiens à nihilo ita res ordinat, ut ab infima ad supremam procedat continuè sine interruptione eminentiæ, & subementiæ, ita ut nullus graduum locus sit vacuus. Et sicut inter corpora cœlestia, non datur vacuum sed contignatio; aliàs cœlis frustra dedisset Deus virtutem operativam uniformiter difformiter; ita etiam gradus entium substantialium, debent non esse interrupti; alioquin Deus frustra dedisset singulis naturis eminentialem virtutem, manifestandi suam eminentiam, potuissetque aliàs non producere infimam naturam, quod est absurdum: Quia natura proxima infimæ possibilis, adeoque eminentior, si haberet intellectum, doleat de eo quod facta sit infima, & quasi cauda mundi, cum posset habere locum honoratiorem. Eadem autem ratio est, cur non sit

omissa aliqua natura intermedia proxima infima: Doleret enim quod facta sit proxima infima, neque posset ostendere suos gradus eminentiæ.

Vis dictæ Conseq. ad hoc revocatur; si natura illa esset possibilis & non est factum miraculum impediens ejus existentiam, de facto existit; sed non est factum; quia non probatur factum: Miraculum autem quod non probatur debet negari, aliàs possemus dicere, aquam naturaliter posse calefacere, sed esse impeditam.

Addit ulterius rationem, cur non detur suprema creatura quamvis detur infima: Quia non est malum Angelo supremo, quod de facto sit supremus: Homo autem non potuit naturaliter fieri suprema creatura: Quia cætera sublunaria, cœlesti indigent motu: Homo autem non potest movere cœlum.

RESPONDETUR. Negando Conf. Ratio cur non detur de facto creatura immaterialis non intellectiva est, placitum Creatoris, sicut & in infinitis aliis creaturarum speciebus. Quod attinet ad Prosopopœiam inductam, debuisse vi illius etiam perfectissimam producere creaturam: Quia potuisset proxima suprema, quæ nunc est dicere, hæc quæ ante me est dominatur mihi, & illi nullus, illaque de se dicitur sum maxima, & tamen potest illa inferior esse, habereque se superiorem. Durum autem est, si præcellant parum nobiliores, & ipsi non præcedantur, suntque inter cæcos, monoculus Rex. Quod si dicas multitudinem dominantium esse quid malum, tunc infima creatura peteret ne tam multæ creentur, malumque illi esset tot aliis subdi. Deinde si datur de facto infima creatura, ergo non datur minus Dei participativum: Jam autem sicut est Deus chaos quoddam perfectionis, ita creatura est chaos defectibilitatis, ergo potest minus & minus deficere à Deo: imò ex quacunque demonstratione, implicabit dari creaturam perfectissimam, ex eadem ferme proportionaliter inferetur, implicare imperfectissimam, & sicut per negantes infinitum implicat linea finita ab una parte, & ex alia parte infinita, sic etiam implicabit finitudo in imperfectione participandi Deitatem imperfectius, cum infinitudine, participandi eam perfectius. Insuper illud etiam non demonstratur, quod homo non sit, nec posset esse supremus: Quia neque hoc demonstrari potest, de facto ab intelligentiis, cœlos moveri, & quod nonnisi ab illis moveri possint: Et licet unaquæque res sit manifestativa in actu primo suæ perfectionis, hæc enim stat in ipsa connexionione prædicatorum essentialium, sed non est manifestativa in actu secundo: Quia ad hanc manifestationem requiruntur termini alii, cum quibus debet fieri commensuratio, quos omnes, non est necesse existere.

2. IMPLI-